Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1053
Quelle:
Copyright:

mus una cum ipsis in gloria dei gaudere et exultare cum omnibus Sanctis. Ipso adiuuante et concedente, qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat trinus et unus deus per omnia secula seculorum. Amen.

Prephatus uero domnus Marinus abbas, cum adhuc uiueret et magna infirmitate ut dictum est pessime cruciaretur, de qua etiam et mortuus est, et ego astarem coram eo seruiens ei, precepit mihi, quatenus explanationem cantici canticorum bone memorie domni Bernardi clareuallensis abbatis scriberem, quod deo annuente festinus adimplere studui. Nam cum ipse adhuc uiueret, totum illud scripsi et compleui. (Ut supra N. III.) *Eo uero defuncto successit in loco eius domnus Henricus abbas, qui precepit iterum mihi, ut prephatum librum, quem domnus marinus abbas precessor eius inceperat, usque ad finem scribendo perducerem. Cuius iussu omniumque fratrum ammonitione atque exortatione sepissime animatus adimplere curaui, et usque ad finem domino cooperante, a quo omne bonum sumit initium et fine concluditur, perduxi. Anno uidelicet dominice incarnationis M°. C°. LXX°. IIII°. die prima mensis augusti. indictione septima. Rogo itaque uos in domino fratres, quatenus istum librum cotidie legere studeatis et legendo corde retineatis, et corde retinendo opere adimplere festinetis. Lectio enim diuina assidue meditata perducit monachum ad summa uirtutum culmina. Si quid uero legendo ineptum in eo inueneritis, non noxam sed mihi ueniam tribuatis, Deumque omnipotentem pro me miserrimo obsecrare non negligatis dicentes: Deus omnipotens propitius esto illi miserrimo peccatori Amen. Ego enim licet indignus gratias illi ago, laudo et benedico, qui me hucusque sua immensa bonitate adiuuare dignatus est. Sit illi laus, honor et gloria. Cuius imperium sine fine manet in perpetuum. Amen.*

Queris Opus Cuius. Nomen Marinulus Huius.
Hec Ego Marinus Scripsi Non Pectore Pigrus.
Celica Pro Scriptis Marinulus Postulat Istis
Scripsit Hen (sic) *Emunus Tribuit Quod Trinus Et Vnus.*

Pulcre, bene, recte! Verum cur nomen Coenobii sui reticuit *Marinulus*, cui ordine praefuere Abbates *Johannes*, *Petronax*, *Marinus* et *Henricus* intra annos circiter 1149—74. Non indiligenter a me quaesitum deteget fortasse, cui ad manus fuerit *Aug. Lubini* Ord. Erem. S. Aug. *Abbatiarum Italiae brevis Notitia* edita *Romae* 1693.

CCCCXLII.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 57. 4. min. sat bene perscriptus, rubricis distinctus, et, ut tot alii, ab *Joh. Fabro* U.93

Vien.